



AN. XXI - N. 129.

MM. SEPTEMBRI et OCTOBRI

AN. D. MCMLI

# Compositiones Vertendae

## FORTALEZA DE ANIMO DE JENOFONTE

Jenefonte, mientras hacía (1) un solemne sacrificio, se enteró (2) que el mayor (3) de sus dos hijos por nombre Grilo (4) había caído en la batalla de Mantinea. No por eso (5) juzgó que se había de interrumpir (6) la ceremonia sagrada (7) que se había comenzado (8), sino tan sólo se contentó (9) con quitarse la corona (10). Habiendo preguntado cómo había sucumbido (11), luego que oyó que había perecido (12) luchando valerosamente, colocósela de nuevo (13) en la cabeza, poniendo por testigos (14) a los dioses (15) a quienes sacrificaba, que sentía mayor placer por la valentía (16) de su hijo que amargura (17) por su muerte. Otro hubiese retirado la ofrenda (18), desbaratado el altar (19), desparramado el incienso (20) regado (21) con lágrimas. El cuerpo de Jenofonte se mantuvo impasible (22) en la ceremonia religiosa (23) y su espíritu (24) juzgó que sucumbir a la aflicción (25) era más doloroso (26) que la misma desgracia (27) que se le había anunciado.

NOTAS: (1) *Peragere*. (2) *Cognoscere*. (3) *Maior natu*. (4) *Grillus*. (5) *Nec ideo*. (6) *Omittere*. (7) *Deorum cultus*. (8) *Instituere* (9) *Contentus esse*. (10) *Coronam ponere*. (11) *Occidere*. (12) *Interire*. (13) *Reponere*. (14) *Testari*. (15) *Numina*. (16) *Virtus*. (17) *Amaritudo*. (18) *Removere hostiam*. (19) *Altaria abficere*. (20) *Disjicere tura*. (21) *Respersus*. (22) *Immobilis stare*. (23) *Religio*. (24) *Animus*. (25) *Dolor*. (26) *Triste esse*. (27) *Clades*.

## CICERON (VI)

Por eso cuantas veces defendía a un reo en compañía de otros abogados, sus compañeros le dejaban siempre la peroración (77) en la que un afecto vehemente (78) hacía que a su discurso (79) no le faltase ninguna belleza oratoria (80), ningún recurso del arte (81). El mismo (82) tuvo discursos solemnes (83) en materias políticas (84), en las asambleas del pueblo y en el senado (85) con los cuales calmó muchas veces las iras de la multitud (86), dirigió las deliberaciones de los senadores (87), triunfó (88) de las leyes agrarias (89) de Rulo, (90) de la audacia de Catilina, de la tiranía (91) de M. Antonio.

NOTAS: (77) *Perorationem relinquere*. (78) *Vis animi*. (79) *Oratio*. (80) *Virtus oratoria*. (81) *Adjumenta dicendi*. (82) *Idem* (83) *Loculentas habere orationes*. (84) *Res publica o res civilis*. (85) *Et apud populum et in senatu*. (86) *Concitatam multitudinem sedare o pacare*. (87) *Senatus consilia regere o auctor esse consiliit publici*. (88) *No se ponga: triumphare que en clásico significa alegrarse, gozarse; dígase: Reprehendere et ob-* *jicere* (Cic. *Pro Sull.* 23, 65). (89) En singular *Lex agraria*. (90) Echese mano de la *disjunctio*: quebrantó (*frangere o contundere*) la audacia de Catilina, abatió (*opprimere*) la tiranía, etc. (91) *Tyrannis, tyrannus* son usados enfáticamente por Cicerón con sentido de mando injusto y violento; de ordinario se usan las palabras latinas *dominatio, dominus*.

## Ordinarii ac Superlorum licentia

### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America. 22 pesetarum in reliquis civitatibus  
Pretium mittatur op̄oret ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

# PALAEASTRA LATINA

---

## De conjunctionum *quod, quia, quoniam* usu abolendo —in subjunctivis propositionibus enuntiativis—<sup>(1)</sup>

Praeter hanc sermonis litterarii in parataxim relapsionem magnum utique momentum fecit eloquium provincialium. Neque multum a veritate abesse mihi video, si conjecterim apud populares Africæ septentrionalis (2), sensu Latinitatis destitutos, conjunctiones *quia* et *quoniam* praeter causalem significationem eam induisse vim, ut satis mature in locum accusativi cum infinitivo substitueretur. Nam apud scriptores Africanos, Tertullianum, Lactantium, Cyprianum dico, primum leguntur particulae *quia* et *quoniam* in locum accusativi cum infinitivo suffectae. Quae tamen res a nullo viro docto quantum video, adhuc indigitata est. Obtinuerunt ergo eundem locum, quem jam dum particula *quod* in consuetudine sermonis Latini Italiae habebat. Neque tamen plane obmutuit accusativus cum infinitivo.

In talem rerum condicionem inciderunt primi fidei Christianae praecones, cum necessitas imperabat, ut effata Dei afflictis et laborantibus afferrentur Latine redditæ. Nec absurdum est putare jam saeculo p. Chr. n. I saltem partes Novi Testamenti ex Graeco in Latinum sermonem conversas esse. Id quoque Augustinus confirmare videtur, cum in libro de Doctr. Christ. II, II ait: «Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari». Nec immerito ex hoc Augustini testimonio efficias christianos, qui verba sacra primi in Latinum sermonem transtulerint, homines fuisse sensus et intelligentiae linguae politioris expertes. Et recte quidem. Nam primi doctrinae Christianae nuntii fuerunt Judæi, qui, quamquam aramaica lingua tamquam vernacula loquebantur, linguae Graecæ peritiam et dexteritatem habebant tantam, quanta ad evangelium per orbem terrarum praedi-

(1) Cf. fasc. sup.

(2) In qua regione primæ extiterint bibliorum translationes, pro testimoniorum inopia accurius definire nequimus. Id unum Tertulliano auctore (de Monogamia II et adversus Præcam 5) affirmare licet Latinam versionem scriptureæ sacrae circa annum CCXVII jam in usu fuisse.

candum erat necessaria. Verumtamen cum sermo a populo, a plebe in occidentalibus plagis, praesertim Romae et in Italia septentrionali usitatus et prolatus non Graecus, sed Latinus esset, illi Christiani orientales verba divina in eloquium vertere coacti sunt eorum. quorum sermonem et a quibus sermonem loquendo discebant. Atque desiderio plebis ipsius ad salutem et beatitudinem aspirantis indulgentes, primi fidei nuntii, cum de novae doctrinae gravitate salutifera et divinitate eis persuasissimum esset, Latinam conferunt translationem, nulla conspicuam arte, nullo insignem lenocinio dictionis, paene invito Latinitatis ingenio verbum pro verbo reddentes, haud solliciti de linguae Latinae legibus et ratione. Ita factum est, ut conjunctio ὅτι sermone ad populi captum accommodato —nam cum vulgo loqui vulgariter decet atque in ea re primi fidei christianaे p̄aecones sese humani animi exhibebant peritissimos— per *quod, quia, quoniam* arbitrarie et sine delectu ac judicio redditā sit.

Quapropter rebus Christianorum firmatis etiam homines docti et litterati, simul atque Christi professionem amplexi sunt, pro mutatis saeculi moribus, ut supra exposui, non potuerunt, quin solutiorem et liberiorem consuetudinem sermonis Latini, qualis ore vulgi terebatur, quamquam turgidi fastu e rhetorum scholis progressi erant atque ipsi doctores rhetorici fuerant, in usu altiorum litterarum declararent legitimū eo consilio, ut intellegerentur. Hujus rei testimonium luculentissimum praebet Augustinus, qui in enarratione psalmi 39 cum emphasi ait: «Quid ad nos grammatici velint? Melius in barbarismo nostro vos intelligitis quam in nostra disertitudine vos deserti estis?» Alio loco idem sanctus doctor: «Habeo in abscondito quoddam 'ossum'. Sic enim potius loquamur: melius est reprehendant nos grammatici quam non intelligent populi» (*Enarr. Psalmi* 138, 20). Et divus Hieronymus, quem emendavisse veterem scripturae sacrae interpretationem constat, impetum orationis, qui sua sponte et jure antiquo in stilo cultiore surgit, maxima disciplina, ne dicam, coercitione retinebat. «Propter simpliciores multum, inquit, in dejiciendo sermone laboravimus. Quid cum Apostolis Cicero? Omnia munda mundis» (*Ep. 21, 22*). Ejusmodi exempla augere possum, sed omitto. Sed viros ita affectos etiam perlubenter eas arripuisse particulas, quibus homines de plebe subjunctas propositiones enuntiativas instituebant, per se consentaneum est. Hoc tum maxime accidere opus erat, cum, fecunditate linguae politioris extincta, dialecti et genera loquendi, quae lingua Latina æque habuit ac linguae noviciae, victoria reportata dominatum nactae sunt, id, quod linguae Latinae post Hadriani tempora contigit, cum Italia in provinciarum imperium pedentim et gradatim cedebat. Quem rerum statum non melius illustrare et oculis subjcicere me posse puto quam verbis Isidori Hispalensis: «Unaquaeque gens, facta Romanorum, cum suis opibus vitia quoque et verborum et morum Romam transmisit» (*Orig. I, 31*).

# Lucretiana 1950

964 extractas ningues; cf. 6.736; «nives» codicum haplographia ortum est.

1012 quod dicitur nexere mentis; metri causa «dicitur» dactylice (-uu) legendum est.

1018 sive ec transverso.

1053 pulsareque fluctud; -ud. K 1.396.

1068 saxa vide; Lucretius hoc loco legem iamborum (*Jambenkuerzungsgesetz*) non observavit; nulla enim regula sine exceptione valet; contra K 1.111.

1069 taurinod jungitur; -od K 1.438.

1076 fluctud renovare; cf. 6. 1053; K 1.396 et 438.

1082 nec me jam multam.

1121 vel nebula ac nubes; «vel» = velut cf. St-Sch 675; E-M 1080.

1146 oculos suffusa luce rubentes; cf. GALENUS 4.788 Kuehn ὑπόχυσις = suffusa, λέπτη = lippitudo.

1156 atque animi coruerunt vires totius, omne; «coruerunt» vulgariter scriptum, cf. 6.1135 corumptum.

1171 vertere ad utilitatem.

1175 corpora mertans; «merto» = merso; «merto» est forma prisca verbi «merto» cf. *Quintilian.* I 4.14.

1177 nec requies erat ulla mari; «mari» = generi virili, nam viri ubique Athenis tempore epidemiae subvenire debebant.

1286 creber spirituum aut ingens raroque coortus; «coortus» = substantivum; cf. 2. 1106 et 6. 671; «raro»que est adverbium simul cum adjektivo «creber» affixum ad «coortus» cf. St-Sch 468.

1187 splendidus umos; «umos» = umor; via erroris: *umos* (male intellectum ut accusativus pluralis), *umus*, *umum*.

1205 profluviū porro cum taetri sanguinis; «cum» = quando profluviū... exierat.

1259 nec minimam partem ex agris paedoris in urbem confluxit; sed non tam maeror quam «paedor» ab agricolis rure in urbem convectus est; E-M 721; «paedor is», ubi «is» = iste in malam partem adhibetur.

1262 quo magis aestud; -ud K 1.396.

1282 multaque sors subita ed paupertas; «ed» = et.

EMIL ORTH

# NOVA ET VETERA

## Romanorum Institutiones

Romanorum res ac loquendi rationem jam diu est cum in hac *sectione* investigamus pariterque recentioris aetatis inventis novata excogitamus ac proferimus vocabula. Quam vero ingressi sumus viam, utilem quidem adulescentibus, doctioribus facilorem merito existimamus; quibus ut morem geramus, res antiquae subtiliore ratione et ordine sub titulo *Romanorum Institutiones* alternis fasciculis enarrabuntur. Nos vero tritam persequemur viam, res ac mores nostrae aetatis inquirentes eisque nova verba aptantes. — MODERATOR.

1. **Prolusio.** — Has tibi, lector, *Institutiones Romanas*, virorum principum auctoritate comprobatas vel si malis, Ritus qui olim apud Romanos obtinuerunt, offero, et ut possum, adorno ut publici fiant juris, qui utinam et lectoribus sint jucunditati.

Puto autem non ingratum fore, si qua mente quove consilio ad hosce articulos conscribendos me comparaverim, hic aperiam. Quod paucis quidem absolvam. Aliquot ante annos munus praceptoris Humaniorum Litterarum mihi fuit obeundum. Ad hanc provinciam rite implendam, plane intellexi scriptorum veterum lectionem, profanarumque rerum notitiam prorsus requiri. Nam, si rei periculum facias, quanta, quaeso, in Latinis, tum historicis tum poëtis offendas, quae sine Antiquitatis praesidio intellegi nullo modo possint? En causa et quidem potissima, ut ad hujusmodi studia me converterim.

2. **De Antiquitatis nomine atque notione pauca subjungere liceat.** Parum interest, vel ut verius dicam, fere nihil, mea quidem sententia, inter Antiquitates et *Institutiones*, quas vocant. Antiquitas quippe saepissime sumitur pro ipsis rebus antiquis, abstracto posito pro concreto: *las cosas antiguas*. Cic. Brut. 59, 214: «nullum ille poëtam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat». Et C. Nepos, Att. 18: «Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiqui-



*tatisque amator*. Hinc *Antiquitates* saepenumero usurpantur pro «*Institutiones*», id est, pro historia rerum antiquarum, nam multi scriptores libros suos, in quibus antiquas res persequebantur, *Antiquitates* inscribere soliti sunt (PLIN. *H. N. in Praef.*; CIC. *Acad. Quaest.* 1, 2, 3; cet.).

*Institutiones*, inquam, parum differunt ab *Antiquitatibus*. Enimvero *Institutio* quanquam verbale sit ab *instituo*, hoc est, actus instituendi, et praesertim docendi, et exinde educatio, eruditio, disciplina orientur; tamen, quatenus *Institutiones* appellantur vel Romanae vel Graecae, ac proinde res antiquas Romanorum Graecorumque continent, hoc in sensu nullum intercedit discrimen inter utramque.

Nec *Ritus* etiam aliam notionem prae se fert, quam ob rem initio pro *Institutionibus* adhibendum censui. *Ritus* namque, proprio loquendo, est mos et approbata consuetudo. Vernacule autem sonat *usanza, costumbre*; HOR. *Od.* 3, 1, 45: «*Cur invidendis postibus, et novo sublime ritu moliar atrium?*» PLIN. *H. N.* 3, 5, 2: «*Italia numine deorum electa, quae sparsa congregaret imperia, ritusque molliret*».

Nos igitur, lectoris venia, vocabulis istis utimur et quidem promiscue. Ergo *Antiquitatum* sive *Institutionum* sive *Rituum* nomine, Reipublicae formam, religionem deorumque classes, rem militarem atque civilem, omnino instituta moresque, et ut uno verbo dicam, totam Romanorum vitam tam publicam quam privatum, comple&tumur.

Jam vero, *Antiquitatis* monumenta paene omnia a doctis viris bene multis ita explicata fuere, ut paucas eorum partes reperias nulla non accuratione et diligentia traditas. Alius autem aliam rem tractandam suscepit. Hinc infinita prope librorum copia suborta est, quorum multi adeo magnae molis sunt, ut si eos colligere quis velit, totam fere vitam legendo transigere necesse sit. At quem lucubrationum tot tantarumque lectio non absterreat? Cui tantus labor, diurnitas tanta, fastidium non pariat? Quid ergo nobis faciendum in tanta *Rituum* supelle&tile nemo non videt. Maximum nimirum intererat ut illa, quae ob immanem librorum multitudinem — qui omnium manibus teri non possunt — vix adiri queant, ad certos redigerentur limites, in eorum potissimum commodum, qui in humaniores litteras incumbere satagunt. Illud autem hoc in opere, pro meo modulo, praestandum putavi, et vastam *Antiquitatum* silvam ingressus, omnia alicujus quae sunt momenti decerpere libuit, ut hoc dissertationum corpus effingerem.

3. *De via in his lucubrationibus ineunda.* — Hisce de meo proposito praelibatis, de ineunda via, vel ut ajunt methodo, pauca supersint. Compendio certe ubique studeo, sed tamen hic agetur omnis antiquitas Romana. Etenim hoc in primis erat in votis: pepercisse me verbis quantum materies pateretur; rerum tamen haud quicquam omisisse. Institutum namque meum est ut ea in medium proferam, nedum quae vel certa vel admodum probabilia sunt, verum etiam illa quae fabulosa videntur, quaeque tamen apud auctores passim occurrunt, tironibus enodanda.

Ea propter scriptores cum veteres tum recentiores adhibui, illos praesertim qui in hac palaestra multam rettulere laudem. Ad haec classicorum testimonia ad fidem abunde faciendam, elegi atque attuli: hic enim mos apud doctos invaluit, eumque, ut par erat, secutus sum, ut vere crederes, mi lector, te legere Antiquitates, veterum probatione suffultas. Verum non omnia, ut claret, commemorabo: non enim aut ego dicere, aut tu legere unquam posses; sed paucissima tantum, et quae optima, et commodissima videbantur, perstringam.

Ut harum dissertationum consilium magis lectoribus pateat, in quattuor eas distribui partes, quas, si Deus adspiraverit coepitis, suscipiam pertractandas, videlicet:

Prima: *De rebus sacris* notatu digna complebitur.

Secunda: *De rebus civilibus* scitu necessaria tradit.

Tertia: *De rebus militaribus* capita notiora pandit.

Quarta: *De rebus domesticis* quae notari merentur exhibet.

En tibi operis summam. Antequam vero istis sectionibus manus admoveam, operae pretium duxi nonnulla breviter praemittere de urbis Romae origine, atque conditione ad ea oculos tantummodo collimantes, ut omnia quae ad Romanorum Imperii primordia spectant, plane tironibus liqueant.

Hoc herculea audacia fortasse cuipiam videbitur, sed hoc tantum in his elucidandis p̄ae oculis habui, ut discipulorum commodo consulerem et demandatum mihi munus explerem. Quod si forte haec minus arrideant, en patrocinium: horae unius vertentis ambitu, idque semel per hebdomadam, citius quidem quam aspargi coquantur — ut dici solet —, haec a me meditanda, colligenda, litteris mandanda erant; nec licebat differre, nam urgebant auditores, quorum ego votis nec volui, nec debui reluctari; quibusque non gessisse morem, sibimet, credo, deesse est.

Sed de his plura fortassis, quam volui, pauciora quam debui. Ceterum, desunt, inquies, deeruntve multa, fateor, ast non omnia a nobis erant delibanda. Praeterea illud memento (quod utinam persuasum omnibus esset), «nullum sine venia placuisse ingenium».

Jam vale, benevole lector, officiumque erga te meum laboresque, qualescumque sunt, meos, pro singulari humanitate diligo.

#### 4. Opera de Institutionibus Romanis praecipua

- a) Inter Lexica, haec juvat recensere: *Lexicon Antiquitatum Romanarum*, auctore Sam. Pitisco, Leonardiae, 1713. 2 vol. fol. Idem Venetiis, 1719, et Hagae Comitum, 1737. 3 vol. fol. — *Dictionnaire des Antiquités grecques et romaines*, auctoriis C. Daremberg et E. Saglio. 5 vol. Paris, Hachette 1877-1919. — PAULY. *Real-Encyclopädie der klassischen Altertumswissenschaft*, Auct. G. Wissowa et W. Kroll. Stuttgart, Metzler. — *A concise Dictionary of Greek and Roman antiquities based on sir William Smith's larger Dictionary and incorporating the results of modern research*. Auct. F. W. CORNISH. Londini, Murray, 1898. — *Dictionnaire illustré de la Mythologie et des Antiquités grecques et romaines*, P. Lavedain. Paris, Hachette, 1932. — *Lexicon Militare*, Auctore, Carolo de Aquino, S. I. Romae, 1742, 2 voll. fol. — *Reallexikon des Klassischen Altertums*, J. GEFFKEN et E. ZIEBARTH. Leipzig, Teubner, 1914.

b) *Commentarii: ROSINI, Antiquitatum Romanarum corpus absolutissimum, cum notis Dempsteri.* Ultrajecti, 1710, Amstelodami, 1743, 4.<sup>o</sup> — *H. Kippingii Antiquitatum Romanarum libri quatuor.* Lugdun. Bat. 1713. — *De Romana Republica, Auct. P. J. CANTELIO.* Ultrajecti, 1707. — *Manuel des Antiquités Romaines.* Auctor. TH. MOMMSEN, J. MARQUARDT, P. KRUGER. Paris, 1888-1907. 19 voll. — *L'Etat Romain.* J. N. MADVIG. Paris, Vieweg, 1882-1889. 5 voll. — *Darstellungen aus des Sittengeschichte Roms.* G. WISSOWA. Leipzig 1921-23. 4 voll. — *A History and description of Roman political Institutions.* F. F. ABBOTT Boston, Ginn, 1911. — *Les Institutions de l'ancienne Rome.* F. ROBIOU ET D. DELAUNAY. Paris, Perrin, 1884-88. 3 voll. *Mostra augustea della Romanità,* Auctore Anonymo. Catalogo. COLOMBO, 1938. 2 voll. — *Manuel des Etudes Grecques et Latines,* L. LAURAND. Paris, Picard, 1942. 3 voll. — *Thesaurus Antiquitatum Romanarum,* congecius a J. G. GRAEVIO, Ultrajecti 1694-99. 12 voll. fol.

b) *Aljumenta maxime archaeologica: L'Antiquité expliquée et représentée en figures,* per BERN. de MONTEFAUCON. Paris, 1719. 15 voll. fol. — *Recueil d'Antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques et Romaines,* par M. LE COMPTE DE CAYLUS. Paris, 1752-67. 7 voll. 4.<sup>o</sup> — *Il Museo Capitolino,* Roma, 1747-83. 4 voll. fol. — *Monumenti anticki inediti, spiegati et illustrati da Giov. Winkelmann.* Roma, 1767. 2 voll. fol.

Haec notissima sunt. Alia consulenda apud J. A. FABRICIUM, *Bibliographia Antiquaria,* Hamburgo, 1760; et Laurand in op. laud.

LEO M. SANSEGUNDO  
*Mona&bus Montisserrati.*

## Durus Venator

*E tepido nido materna voce vocati  
Ambo columbini pulli trepidantibus alis  
exsurgunt; timidi accedunt hinc inde columbam  
per ramos, inhiantque cibum luduntque vicissim...*

*Dum gaudens animo tantum contemplor amorem  
a tergo juvenis venator substitit..., ore  
laetanti observat praedam, simul atque dolosa  
glande onerat sclopetum ac plumbi grandine pullos  
ilico displosa occidit cum matre columba...*

*Horrisono circum vix aura fragore quievit,  
insontem praedam miseratus corde poëta,  
corpora trina suo maculata cruento legentem  
increpat: heu miserum!, nec te dulcissima mater,  
nec pater edocuit sanctae pietatis amorem!...*

*Aloysius LUCESOLE, Pber.*

*Apud vicum González Catán, in Argentina.*

# Commercium epistulare

*Joseph Holzer, Josepho Jiménez, C. M. F., professori  
doctissimo atque clarissimo, S. P.*

Non. Maj. prima lectione finita VIII hora XXX min., cum convolvulos fumatorios, quorum aegre tero absentiam, defecisse cognovissem, uxorem conveni, ut ei trunculos illos fumificos mandarem emendos. Sed epistula ex Hispania allata omnino oblitus, statim me dedi lectioni epistulae tuae, quam una cum sua vir clmus. Mirus curaverat reddendam. Commemorasti quae in itinere Germanico expertus eras, acerba laeta, atrocia jucunda. Quamvis bello illo immani nondum in oblivionem dato, ubique gentium novi belli apparatus. Grande profundum sane homo, ut cum divo Augustino loquar. et quandonam effulgebunt dulcissimae pacis cogitationes? Quando inveniet desideratam quietem inquietum cor hominis? Quando D. O. M., quippe qui pater sit noster benignus, pro sua misericordia exaudiet nostras cotidie pro pace effusas preces? Nonne res humanae, si ob oculos posueris sescentas uxores, virgines, matronas promiscue a Russis bestialiter compressas et hodie quoque ab illis monstris hominum stuprari, in daemonum commissae esse videntur potestatem? In uno orphanotrophio Berolinensi, cui uxoris meae consobrina praeest, in uno mense CCLXXXIII lactentes, ex Russorum abusu orti, sororibus concretiti sunt enutriendi. Adde, quod in uno die XXXXII feminae, postquam vim Sarmatarum passae sunt, eadem in urbe unum adierunt medicum, ut sibi operam ferret. At horret animus referre, horret meminisse...

Tum rei Latinae mentionem fecisti. Etiam Latinitati bellum proximum maximam intulit cladem. Ceciderunt bello *Lygia* et *Juventus*. Alma Roma cum Fornario est mortua neque umquam ab inferis redibit ad vitam, cum non sit moderator et sponsor, qui illi subeat. De Wagnero Budapestinensi nihil habeo, quod scribam. Num in Hungaria trahat vitam an fugitus sit, nescio. Cum Lisio autem Vratislavensi mutuum usque ad a. MCMXXXXV habui litterarum usum. Evidem a. MCMXXXXVI ad eum scripsi, sed nihil responsum est. Qui si esset inter mortales, certe, qua erat urbanitate, signum dedisset vitae. Deseruit porro senectute vitam Augustinus Potucek a. MCMXXXXII, a. MCMXXXXVI fato concessit Franciscus Palata anno aetatis LXXVI. Lurtius vero collega fortissimus et maxime strenuus usque ad extremum spiritum Latinitatis propagator pr. Kal. Febr. a. MCMXXXXVI leukaemiae morbo oppressus creatori suo candidam reddidit animam a. aet. LXXIII. Cum Julio Dutoit per litteras usque collocutus sum. Sed litteris ad eum mense dec. anni praeteriti datis non rescripsit. Nescio an ex silentio facere conjecturam liceat. Naturae si satisfecerit, de *Societate* quoque *Latina* actum est, id eo magis, quod his proximis annis Soc. Lat. summis laboravit

difficultatibus pecuniariis. Neque quisquam est, qui, cum tempora sint turbida, *Societatis Latinae* naviculam tempestate jactatam in tutum portum suscipiat regendam. Verumtamen Galassi-Paluzzi atque Terzaghi ex praeconio Instituti Studiorum Romanorum, cuius unum possideo fasciculum, a Lisio mihi loco nuptialis doni dedicatum, nomine mihi quidem noti sunt, sed mihi ipsi non contigit, ut cum illis viris doctis artiora conjungerem vincula.

Hujus rationis ut summam faciam: morte illorum doctorum maxima damna illata sunt rei Latinae. Et quod pessimum est perpauci inveniuntur, qui illorum vestigiis insistentes pro Latinitate his temporibus adaptanda et restauranda propugnare parati sint. Videor mihi interdum stare in nave, quae jamjam mergatur fluctibus tempestatis. Attamen quamvis parva manus simus, artius conserentes latus lateri omnem intendere debemus et volumus operam atque industriam, ut ex ruinis laetius refloresceret *communis res nostra Latina*. *Omnem spem pono in vobis Hispanis et in vestra illustri scriptura periodica*. Quae cum disseruerim, in omnibus, quae resciscere ex me volebas, tibi, collega amplissime, satisfecisse me puto.

Venio tandem ad ea, quae cerebellum meum usque cruciabant. Agitur de nominibus hujus aetatis rebus et inventis imponendis. Unum spectat ad rem militarem, alterum ex philologiae classicae recessu prodiit.

1. *Estado Mayor General*: quae propositae sunt voces, «praetorium» et «coetus suminorum belli ducum» laudare nequeo. Ipse aliquando de «committatu bellico» cogitavi. Sed hic jure meritoque interrogare licet, num de *Estado mayor general* intellegatur. Habesne tu aliquid melius et significantius?

2. «Enjambement» ad philologiam vel potius ad rem metricam pertinet. Illa vox est a Gallis facta et ab Anglis Germanisque recepta. Significat eam versus compositionem, in qua exitu versus sententia non clauditur, sed ad sententiam explendam unum alterumve verbum in proxime subsequentem versum proicitur. Exempla affero:

Italiam, fato profugus, Laviniaque venit  
litora.  
Necdum etiam causae irarum saevique dolores  
Exciderant animo.

Si recte vidi, ex antiquis metricis non suppetit vox. Quapropter nobis data est facultas et libertas nomen novum procudendi. Sed anceps haereo neque opportunam ad rem denotandam invenire possum vocem, quamquam rem satis superque mecum reputavi. Interdum inclinat animus, ut «transgressionem» aut «transcessionem versus» proponam. Quid tibi videtur, 'mi Jiménez?

Epistulae imponam finem. Non diutius aures tuas obtundam. At libet, antequam concludam, meam in te benevolentiam ac voluntatem significare et pro litteris ad me missis agere gratias. Persuadeas tibi, velim, nihil te mihi

gratius facere posse quam si de rebus, quae cordi sunt, occasione data mihi rescripseris. Fac ut valeas meique memineris.

Dat. Lebach V id. maj. a. MCMLI.

*Josephus Jiménez, C. M. F., Josepho Holzer, Rectori Clm., S. D.*

Non dubitabam, quin offensionem negligentiae vitare vix possem, cum ad tuas tam celeres praestantesque litteras tam sero rescripsisset. Quod tamen, bone Joseph, nullo erga te contemptu aut oblivione acciderat, sed rerum copia et parum firma valetudine, quibus animus hebescere videbatur quominus juste ac vere ad tuas dulcissimas responderem. Jam vero, corporis animique torpore ignaviaque depulsa, nolebam diutius spem tuam decipere. Operi igitur me accingebam.

Atque in primis gratias tibi quam maximas ob tuam erga me humanitatem et varias rerum et personarum notitias; quae quidem, si fere omnes acerbæ atque atroces videantur, non tibi tribuendum sed temporum hominumque nequitiae. Sint in terra homines bonae voluntatis et redibit ad nos alma Pax, quae artes foveat, arva nutriat, gignat quietem, miserias depellat. Per nos stat et per primores belli ducum quominus hoc citissime fiat.

Atque jam ad quaestiones tuas venimus. Interrogas de vocabulis ad res hujus aetatis aptandis:

«*Estado mayor general*»: Habes quae ab aliis propositae sunt voces: a) *Societas Latina*, «praetorium», «Summus ducum coetus», «status majus»; b) *Alma Roma*, «magisterium belli apparandi»; c) *Wagner*, «praetorium, summorum ducum coetus»; d) *Bini*, «copiarum proceres»; e) *Mir*, «primores totius exercitus [moderandi] duces»; f) *Mihi*, «primorum coetus» placebat, adhibito substantivo adjektivo «primores», ut saepe fit apud classicos auctores. Quod si *primores* vis adjective usurpare adde «milites», minime «duces», cum non sint duces omnes qui ad primorum coetum pertineant.

*Enjambement*, vox Gallica, hunc, ni fallor, duplarem sensum simul habet: a) *productio* unius vel alterius verbi in versum proxime subsequentem, cum sententia priore versu non clauditur; b) *junctura* seu ligamentum horum versuum quibus sententia clauditur. Jam vero nullam revera novi vocem Latinam huic duplici sensui uno verbo respondentem; unde hanc ex Graeco, fonte hauriendam putavi. Tibi propono «*hyperepidesis*» ( $\text{ὑπέρ}$  trans,  $\text{ἐπί}$  super,  $\text{ἕτερος}$  ligamen), quae si placuerit, gaudebo.

Tamen opus erit ut hae ceteraeque novae voces semel iterumque ad trutinam revocentur, donec magistri probent et usu sanciantur, «quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.»

Haec tecum mente agita et de sententia tua certiore me facias. Etiam atque etiam vale.

Salmanticae, Id. jun. a. MCMLI.

# De brevitate vitae apud Horatium

Humanarum rerum fortunam, casus, vices, finem, instabilitatemque immortalis Grajus Homerus fixit ut silvae folia, nam alia cadunt ex arboribus agitata ventis, humi strata, dum alia in nemore virescunt, frondescunt; sic homines transeunt, more fluentis aquae dicerem, ac transeuntium occupant locum. Quod item Raimundus Cunichius Ragusinus, poëta, ad Latios modos vertens poëtae Graji versiculos, dixit:

Mortalibus esse caducum

Scis genus, ut foliis. Autumni haec frigore primo

Ventus fundit humi, pubescit germe silva

Deinde recens alio, cum ver caput extulit arvis:

Sic hominum genus, hoc oritur, lapsus interit illud.

Quod quidem Ecclesiastes egregie dixerat: «Generatio praeterit, et generatio advenit: terra autem in aeternum stat».

Ac similia Tibullus, *Eleg. 1, 4.:*

Transiet aetas.

Quam cito! non segnis stat, remeative dies.

Quam cito purpureos deperdit rosa colores!

Quam cito formosas populus alta comas!

Quam jacet, infirmae venere ubi fata senectae...

Et quid Horatius, de lapsu temporis, de brevitate vitae, de venustate formae, de deliciis praetereuntibus dixit? Num sciens hanc vitam fluxam laxamque esse, inter Scyllam Charybdisque positam, transituram Adi, in caelum intuitus est ut frueretur non corporis sed animae gaudiis? Nequaquam, nam ista efferata rabies libidinum, quam, velut in Ponto mersus, habuit Horatius, cogebat eum humanarum rerum instabilitatem fateri et omnes homines eundem iterare planctum; sed ille, amoribus vinoque implicatus, non nisi dona praesentis horae capiebat, quamvis mors minitaretur. Sic ad Archytam (*Od. 1, 28, 15*), ait:

Sed omnes una manet nox,

Et calcanda semel via lethi.

Idem legimus in alio carmine:

Sed improvisa lethi

Vis rapuit rapietque gentes (*Od. 2, 13, 19*).

Innatamus tamen deliciis, gaudiis mergimur, dum avara quaeque vestigia felicitatis sequimur, alto urgemur divitias conquirentes; at eheu!, mortem, qua premimur, despicimus ut si aeterni mansuri essemus! Omnes certe moriemur fors Hodie, fors cras —at una semel calcanda via lethi—, sive pauperes, sive divites, aut in ipsis incunabulis, aut in juventae flore, seu verno tempore, seu canitie senectutis.

Lacrimis en et mea carmina in ipso

Ore natant. Media cecidere abrupta juventa

Gaudia, florentesque manu scidit Atropos

Annos.

Omnes, inquam, calcabimus viam lethi ocios Euro, inscii temporum, quia «dies nostri quasi umbra super terram et nulla est mora». «Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur». Quae divinae Sapientiae sunt verba. Transvolabunt ergo dies nostri ut folia ventis rapta, ut flores in unum diem aperti.

Quam cito purpureos deperdit rosa colores,  
Quam cito formosas populus alta comas!...

Sic humana felicitas procellarum rabie agitata, quia ut Boëthius asserit *De Consolat. Philosophiae*: «Anxia enim res est humanorum condicio bonorum et quae vel nunquam tota proveniat vel nunquam perpetua subsistat». In qua insistens sententia ait Horatius Maecenati:

Ibimus, ibimus  
Utcumque praecedes, supremum  
Carpere iter comites parati. (Od. 2, 17, 10).

Fugit, heu!, irreparabile tempus ac venustas ipsa ocior ventis ad tumulum quam cito properare videtur. Et ut iterum loquar cum Boëthio: «Formae vero nitor, ut rapidus est, ut velox et vernalium florum mutabilitate fugacior!».

Attamen hoc sciens Horatius recordatur solummodo ad capiendam laetus fugacitatem horae praesentis, ad voluptates augendas, ad fruendas libidines, nam illi satis est vivere parvo contento cum omnes patiamur mala curaeque sequantur. Sic in carminibus (Od. 3. 1):

Aequa lege necessitas	Cur invidendis postibus, et novo
Sortitur insignes et imos;	Sublime ritu moliar atrium?
Omne capax movet urna nomen...	Cur valle permutem Sabina
Post equitem sedet atra cura...	Divitias operosiores?

Sed hoc de paucitate opum ad felicitatem suo loco dicemus, cum mihi propositum sit de lapsu temporis in illecebris praetereuntis apud Horatium tractare, quod ille luculenter (Od. 2. 14), ad Postumum, ait:

Eheu! fugaces, Postume, Postume,	Linquenda tellus, et domus, et placens
Labuntur anni: nec pietas moram	Uxor: meque harum, quas colis, arborum
Rugis et instanti senectae	Te, praeter invisas cupressos,
Afferet, indomitaque morti...	Ulla brevem dominum sequetur.

Et nos —cum transeant omnia et opes linquendae heredibus, qui nostri erunt immemores—, non nisi conviviis, luxuriis, impudicitiis vinoque occupati, caput myrto coronati more antiquorum, et tempora unguentis madefacta, caelum pro vita praesenti contemnimus!... Quin etiam vitam transigimus mortem impie irridentes ut illi convivae qui, vino madidi, triclinio adsunt Trimalchionis et vario sermone garriunt quam in praecipiti res sint humanae!... Ita, inquit Trimalchio, non oportet hunc casum sine inscriptione transire. Statimque codicillo poposcit et non diu cogitatione distorta haec recitavit:

Quod non exspectes, ex transverso fit...  
Et supra nos Fortuna negotia curat.  
Quare da nobis vina Falerna, puer. (PETR. *Satyricon*, 55)

# Per Orbem

**ESTUDIOS CLÁSICOS** — En novum per orbem litterarum commentarium, omnium plausu, nuperime in vulgus prolatum, quod finem qui consecutur perspicue planeque assecutus est, ut tria volumina edita monstrant illius scopus ita proponitur: «..se hacfa sentir, sin embargo, la falta de un Boletín de divulgación que sirviera de complemento a la citada revista (Emérita) y de útil peldaño intermedio entre las elevadas esferas de la investigación internacional y el grupo, más numeroso cada día de los profesores y alumnos que por toda España cultivan, tropezando a veces con multitud de dificultades y lagunas bibliográficas, la enseñanza, el aprendizaje de las lenguas y culturas clásicas...»

Primiti fasciculis magnopere lectores sunt delectati cum in singulis selectae investigationis et institutionis lucubrations inveniantur. Maximae utilitatis ac momenti sunt notulae quibus de re bibliographica ac paedagogica, scientifica et académica edocemur neque minoris sunt aestimationis supplementa quaedam commentario conjuncta separatim divulgata.

Quae quidem ephemeris ab Institutorum professoribus et magistris exarata et sub umbra auspiciisque «Bordón» (Institutionis societatis Hispanicae commentarium) orta, potius quam altiorem investigationem scientificam, eruditissimam integrum consecutur et rationem docendi classicas linguas circa quam hodie errores pervulgantur, monstrat.

Novo commentario amplissimum auspicamur incrementum.

**BOLETÍN DEL INSTITUTO CARO Y CUERVO.** — Volumen hujus commentarii sub titulo: «Estudios de Filología e historia literaria» in vulgus editum exímio R. P. Felici Restrepo S. J. dicatur cum illius Instituti honoris praeses sit nuncupatus. Articuli maxima quidem molis —quingentiarum nempe octoginta pagellarum complectentes, ab egregiis notisque auctoribus sunt conscripti. Dividitur in

partes tres quarum prima: *lingüística*, in qua Dni. A. Tovar «Semántica y etimología en el guaraní» et Dni. A. D'Ors «Papeletas semánticas» proferuntur, secunda: *Filología e historia literaria*, de qua excerptimus labores «Voces americanas en el texto de Tirso de Molina» atque «La fuente de la Vida es sueño de Calderón» a Dno. M. García Blanco et R. P. David Rubio, O. S. A., exaratos; et tandem, tertia: *Bibliográfica*.

Praeterea, momenti et ponderis causa, his temporibus praesertim quibus tot in lucem translationes eduntur, articulum P. A. Espinosa Pólit, S. J., summatis lectoribus proponimus.

Humanissimus auctor —in primis ad poëmata classicorum quod attinet— de recta et pulchra interpretandi ratione regulas tradit. En quae servare debet interpres: sensum, venustatem dicendi, numerum, rationem poëticam. Translatio debet esse quasi vicinitas seu approximatio ipsius formae poëticæ; juxta judicium, ergo, interpretum atque consilium non nihil erit demendum. Translatio quoque sit nova quaedam pulchritudinis expressio. Ita ut nativa poësis videatur. Quod ut interpres assequatur, quae obstant impedimenta ipse devitet, retineat quicquid servari potest, prudenter utatur compensationibus, quicquid exprimere nequeat aequo animo ferat.

De methodo et ratione hispanice metra ipsa Latina servandi (métrica hispano-latinitante) en auctoris judicium: haec hujusmodi ars metrica non nisi ex parte numerum Latinum imitabitur, neque omnino servabit fidem. Ergo aliis opus est compensationibus pro his quae ex classicorum metrica demuntur, ut quod maximi momenti et ponderis est apud auctores, rite servetur.

Pater Restrepo, cui fasciculum dicatur, ab omnibus rei scientificæ et philologicæ studiorum causa notus, et qui quidem in primis gloriam ac laudem meruit ex operibus «La llave del griego» et «El alma de las palabras» quibus facile linguam Graecam discimus et rationem semanticæ Hispanicae acquirimus.

C. CEBRIÁN BALLESTÍN, C. M. F.

# De Sappho poëtria

Auctor libelli «de sublimitate» profert magnam partem carminis vatis Lesbicae, cui nomen Sappho (= virgo docta) est. In capite 1°, 2 illius tractatus rhetorici (*περὶ ὕψους, du sublime*, par Henri Lebègue, Paris 1939, p. 18) exstant versus, ubi poëtria animi affectibus abundans effectus passionum hoc modo exstatico describit:

«Sudor super corpus meum effunditur; tremor me totam capessit; herbis luridior sum; paene perisse videor». (cf. Lucretius III, 149-156).

Linea paenultima versus decimi sexti post φαίνομαι mutilata rationi metricae obest, quamquam una tantum syllaba ad hunc versum supplendum deest, quae adhuc nendum inventa erat. Sappho sociam vel amicam appellare et vocabulo quodam proprio hanc puellam dilectam indicare videtur; hujus quaesiti vocabuli primā pars in extrema verbi forma φαίνομαι conservatur et cognoscitur: nempe in -αι finali; scripserat auctrix ipsa hunc versiculum hoc continuo modo: φαίνομαιτις, ut ego jure opinor. Scriba vero quidam illa parte τις neglecta et omissa solummodo φαίνομαι intellexit et exaravit, propterea (τις) pedestre seu prosaicum esse neque ad colorem sensumque poëticum quadrare errore adductus putavit. Sine dubio autem vocula τις ad φαίνομαι adjungendam et scriptio continua (φαίνομαιτις) ita discernenda est, ut duo diversa vocabula recuperentur: φαίνομαι' et αἰτις (cujus primum iota longum est). αἰτις quidem nihil aliud significat nisi illam puellam a Sappho dilectam; haec vox feminina αἰτις ostendit generaliter «virginem amatam», cum tamen αἰτις (vel αἰτης) masculini generis hoc nomen notet «juvenem dilectum». De vocabulo αἰτις referunt testimonia sequentia:

1. *Joannis Zonarae lexicon*, edidit I. A. H. Tittmann (Lipsiae 1808) 74.
2. *Poëtae lyrici Graeci*, edidit Theodorus Bergk, III (Lipsiae) 73 nr 125, ubi Herodianus grammaticus testis laudatur; jam Hippoanax poëta aetate Sapphonem antecedens αἰτις vocem adhibuit.
3. *Zum Lexikon des Photios* scripsit Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff. (Berolini 1907.2 (de voce αἰτης).
4. *A Greek-English Lexicon* composuerunt Liddell-Scott (Oxoniae 1925) 44.

Tandem igitur ille versus Sapphicus post tot curas erroneas salvatus et in veram formam redactus est ita recte sonans: φαίνομαι' αἰτις (videor, o virgo dilecta).

Statim vero post φαίνομαι' αἰτις Sappho hac ratione idem carmen continuat: ἀλλὰ τὰν τολματόν ἔπει πένητα.

Neque enim aliter nisi hoc modo illa verba legenda sunt, quoniam vocabula ἔπει καὶ πένητα adhuc codice manuscripto tradita sensu vacua contra rem metricam formae hendecasyllabi peccant et exemplo una syllaba copulae καὶ

dempta optime restituuntur. Post πένητα demum ponendum est istud καὶ (quod prius ante πένητα scriptum erat); et recte sic verba complenda et exaranda sunt:

...πένητα. καὶ [τὰ λοιπά] = «et cetera verba strophae».

Auctori quidem libri περὶ ὄψους (id est Porphyrio philosopho) haec unica linea (ἀλλὰ πᾶν... πένητα) novae strophae summi valoris ad totam ideam praecedentem explicandam et concludendam aptissima videbatur; deinde breviter dicendi causa, quoniam altera cogitatio diversa versibus sequentibus hujus novae strophae nunc incompletae legebantur, quae non jam ad primam partem totius carminis pertinebat auctor περὶ ὄψους satis habebat καὶ τὰ λοιπὰ ad πένητα adjungere illud καὶ vero scriba quidam inscius segregavit, τὰ λοιπὰ omisit, καὶ ante πένητa transposuit, quo factum est, ut verbum ἔπει in conjunctionem ἔπει καὶ mutaretur.

ἔπει tamen non jam conjunction, sed verbī ἔπει est praesentis tertia persona singularis ἔπει, quod verbum bene ad πένητa convenit; nam ἔπει quamquam duarum significationum particeps, tamen hac utraque vi ad intellectum hujus versus optime valet; verbum ἔπει sensu «sequendi» accipitur, quod plerumque medio genere ἔπεσθαι exprimitur; pro activo quidem genere ἔπει stat in Homeri Odyssea 12, 209; in Iliade 11. 483; praeterea praebet Pollux 10. 38 ἔπει quem, Hesychius eadem ratione usus, sequitur; Eustathios ad Homeri Odysseam 12, 209 sustinet vim verbi ἔπει sequendi activam; Anecdota Graeca quae edidit L. Bachmann I (Lipsiae 1828) 233, 32, offerunt ἔποιμ' ἄν· ἀκολουθοίγγ; cf. Thesaurus Sthepphani ἔπω col. 1947. ἔπει etiam cum accusativo conjungitur.

Eadem verbi ἔπει forma alio quoque sensu applicatur, cum iterum transitive significat «tractare, occupare»; ut exempla afferam ex Homeri Odyssea 8, 61 et Iliade 6, 321. Ex hoc Sapphus carmine novum saltem testimonium verbi ἔπει innotuit. ἔπει scribendum esse ostendunt etiam verba auctoris περὶ ὄψους 10, 1 quae explanandi causa ante Sapphus carmen ita leguntur:

οἷον ἡ Σαπφὼ τὰ συμβαίνοντα ταῖς ἐρωτικαῖς μανίαις παθήματα ἐκ τῶν παρεπομένων (cf. ἔπω) καὶ ἐκ τῆς ἀλγθείας αὐτῆς ἑκάστοτε λαμβάνει.

Ad libros qui ἔπω explicant, adnumerandi sunt hi:

Liddell-Scott: A Greek-English Lexicon (Oxford 1929) 678 ἔπω.

Pierre Chantraine: Morphologie historique du Grec (Paris 1945) 244 ἔπω  
s'occuper de. Kühner-Blass: Ausfuehrliche Grammatik der griechischen Sprache I 2 (Hannover 1892) 423 ἔπω.

Ad omnes casus ἔπει hoc in versu Sapphico ad πένητa quadrat: sive sensu sequendi sive occupandi vel (metaphorice) sepeliendi; *subjectum* enim sententiae est τολματὸν = id quod fortiter, patienter tolerandum est; (cfr. τολμήεις et πολύτλας); hoc tolerandum Sappho versibus antecedentibus explicavit et in ultimo versu concludendo comprehendit; πᾶν τολματὸν igitur sunt quaelibet passiones animi et corporis affectibus oriundae; *objectum* porro sententiae a

verbo ἐπει dependens est πένητα = pauperem (id est: miseram poëtriam Sappho ipsam): omnes passiones, quae sunt patienter tolerandae, sectantur vel occupant vel sepeliunt (tamquam fluctus maris) pauperem (=miseram Sappho). ἐπει eodem modo scribitur atque ἐπει; neque vero scriba rarissimum verbum ἐπει neque hujus versiculi sensum intellexit, immo illud ἐπει frequentissimum obiter accepit ideoque καὶ addidit, quippe quae particula in lingua Graeca byzantina abundantiter et superflue apponi solet. Sic mendo καὶ declarato et sublato omnes eandem utriusque formae ἐπει et ἐπει scriptionem lectionis falso traditae originem fuisse apparent.

De Sapphus dicendi genere Demetrius «de elocutione» 167 ita fere iudicat poëtriam (prout res narranda postulent) talibus vocabulis uti, quae magis ad orationem pedestrem quam ad poëticam spectent; cuius carmina potius ad declamandum quam ad cantandum apta videntur; quo ex judicio Demetrii ista verba ἐπει πένητα magis prosaica dictionis Sapphae propria manifestantur; ad formas verbi ἐπω cf. W. Veitch: Greek verbs irregular 4. ed. (Oxford 1879) 260.

Hic quoque versus Sapphicu postremo feliciter emendatus hoc modo scribendus et interpungendus est:

ἀλλὰ πᾶν τολματὸν ἐπει πένητα.

EMIL ORTH

## Bibliographia

CARLOS E. MESA. — *C. Sallusti Crispī «De Catilinae Conjuratione»*. 2.ª edición. Textos «Palaestra». Lauria, 5. Barcelona. 1951.

Lectores nostri commentaria P. Mesa in librum *De Conjuratione Catilinae* jam diu desiderabant; qui quidem hanc alteram editionem accuratissime recognovit et vocabulario locupletavit. Notulae ad textus claritatem maxime conferunt cum plura antiquitatis exponantur; verba pariter aptiora ad versionem proponuntur, quaedam capita in compendium rediguntur atque eleganti dicendi genere conscribuntur.

Quare carissimi professoris opusculum optimum judicamus, idque benevolis lectoribus qui primam editionem excepterunt, magnopere commendamus.

J. JIMÉNEZ DELGADO. — *Latin*, Segundo curso, 2.ª edición. Textos «Palaestra». Lauria, 5, Barcelona. 1951.

Qua sit sollertia P. Jiménez in libris exarandis ad scholarum utilitatem omnes nostri lectores satis superque norunt, quae non minus elucet in hoc secundo libro Linguae Latinae.

Tribus partibus liber constat, quarum in prima Morphologia prostat; in altera breves illae syntaxis regulae traduntur quibus secundi cursus alumnis opus est. Tum morphologia tum syntaxis aptissimae ad pueros instituendos praebentur. Neque objicias morphologiam phoneticis regulis aliquando redundare; cum enim judicio et ordine tradantur, utiles profecto erunt ad firmorem puerorum institutionem. Tertia

vero, *Repetitorium*, illis omnibus constitutur quae secundo cursu respondent; sed illam auctor penitus recognovit atque ordinavit.

Placent profecto typorum distributio et claritas; sed nobis mirum in modum arrident: fabulae, narratunculae, divisiones ac praesertim tabulae pictae quae in omnibus fere pagellis multae inseruntur quibusque Linguam Latinam quasi reviviscere dicas. Quare merito conjicimus librum tum a professoribus tum ab alumnis benigne acceptum iri.

A. JESUS ASPA, C. M. F.

ENST WALD. — *Die Kultur der Antike*. Zweite leicht veränderte Auflage. Artemis-Verlag, Zürich, 1948.

Opus — humanarum litterarum cultoribus et philosophis maxime utile— velut historia fontium culturae Europeae exhibetur. Quam ob rem A., operibus antiquitatis Graecae et Latinae minoris momenti et —ut ita dicam— quasi fortuitis praetermissis, totum se contrahit ad horum populorum monumenta perennia voluntate exacta, quae sensum atque virtutem vitae socialis continent. Quarundam formarum culturalium momentum seu vis «rhythnum culturalem» populorum, seu culturam sensu dynamico acceptam, —juxta auctorem— constituit. Rhythmus culturalis Europeae humanismum dicit Dr. Howald a Graecis Romanisque originem trahentem. Religio Christiana suas quoque habet partes, cum de constitutione gentium agitur Europae, socia saepe existens humanismi et aliquando ejusdem oppugnatrix. Christianismus enim elementum et substratum permanens fringit orientalibus et occidentalibus plagiis immo et cuiilibet genti nomen Christi vere tenenti, cum sit nota communis. In hac ergo quasi unitate Christiana hu-

manismus appareat velut nota propria cultus occidentalis Europae et discrimen inter ipsum et alias culturas. Altam simul ac propriam instituit Dr. Howald in hoc opere investigationem circa fontes seu radices culturae occidentalis Europae prout humanistica seu "dynamica" conspicitur, non tantum litteras atque artes sed institutiones quoque sociales, familiam, cet., perscrutans. Post brevem introductionem auctor in duas partes opus dividit, quarum prima Graecae culturae dicatur, secunda vero cultum nos docet Romanum. Opus appendice bibliographicō —ex libris fere Germanice exaratis— atque indice rerum et auctorum, completur.

JOANNES FÁBREGA, C. M. F.

QUINTINO CATAUDELLA. — *Storia della Letteratura Greca*, 2.<sup>a</sup> ed., S. E. I., Torino, 1950.

Libenter hujus operis pagellas percurrimus. Cl. Auctor narrationem Historiae litterariae Hellenicae criticam perfectamque optime contexit. Aetates, quibus opus distribuitur, sunt: archaica, quae ex Homero ad primos stoicos, seu ad s. Vum, comprehendit; Attica quae saeculum V et IV; hellenistica, de qua tantum generatim notiora perpenduntur; tandem Romana, quae ad Justinianum protenditur. Agitur non tantum de auctribus, sed etiam de generibus et scholis litterariis. In pōstrema aetate invenimus nobiliores Patres ecclesiasticos Graecos. Copiosa ac selecta bibliographia, aptissimum quidem laboris instrumentum, quo ordine opus distributum est, legenti exhibetur. Scriptorum onomasticon opus claudit. Auctor totam rem sapienter pertractat, justus in iudicis, eruditus in opinionibus, brevis sed non obscurus, in expositione.

J. GARCIA, C. M. F.

# Palaestra Exercitatoria

## Carmen Filiale

*Ii. Sanctum Patrem nostrum*

*Grande nostrorum decus atque splendor,  
Qui Dei regno frueris beatus.  
Da tui laudes celebrare, gratum  
Texere carmen.*

*Quos tibi dulces, alacres canentes,  
Noster Antoni, modulamur omnes,  
Laudis hos, sessus solio supremo,  
Suscite cantus.*

*Virgo respexit oculis benignis  
Parvulum cunis puerum jacentem,  
Gestit et gaudet fluitans sequentem,  
Milite signum.*

*Nam puer poenas meditatur atri  
Tartari saevas, barathri lacunas  
Horret et flamma vehementer coepit  
Pectus aduri.*

*Virginis flagrans et amore Christi,  
Nasceris cunctas animas aduri  
Claret et Jesu cupiens amoris  
Igne cremari.*

*Cum maris raptus tumidis ab undis,  
Cum malum impellit mulier nefandum,  
Virgo tunc Mater Veneris probrosae.*

*Eripit igne.*

*Ut vigil pastor pecoris feraci  
Candidas pasto recreas ovellas,  
Qua latus Jesu madido salutis,  
Sanguine manat.*

*Quod novem tecum retines in annos  
Sub dap̄is Jesum specie cōpertum,  
Inclitum pectus Salomonis aedem  
Praestat honore.*

*Qui tenes sacram super astra sedem  
Ac Tui tempus redimitur auro,  
Hisce securum columen, precamur,  
Esto périclis.*

*Laudibus tollant homines in astra  
Numen aeternum, sine patre Natum,  
Spiritum Sanctum pariter celebrent  
Munera dantem.*

Alphridius AGUERO, C. M. F.

## Traducción de la Oda Horaciana, O NAVIS!

Menuda, frágil barquilla  
que el puerto incauta dejaste.  
fieras al mar te arrebatan  
nuevas olas... ¡Oh! ¿Qué haces?  
¿No ves tu mástil hendido  
hecho astillas en mil partes?

Por el vendaval furioso  
roto todo el maderamen,  
apenas resistir puedes  
sin maromas sus embates.

No importa que de los dioses  
lleves pintada la imagen.  
Si el viento no te empujara  
inútil fuera el velamen.

Hija de la noble selva,  
de tu alcurnia no te ufanes:  
el viajero nada espera  
de su bien pintada nave.

Juguete fuiste del viento:  
incauta barquilla... ¡guárdate!  
Por tu vida anduve triste,  
hastiado, inquieto, anhelante:  
por tu bien sigo en cuidado,  
me desvelo por salvarte...

Si navegas... no te acerques  
a las Cicladas brillantes...

Alvaro BARREIRO

(curso III). — Colegio de S. Francisco Javier  
El Paraje — La Guardia (Pontevedra)